



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCXXXII. ad annum CCCCLI.

Parisiis, 1644

I. De fide eius, scriptis mißis, probata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14584

IV. *De commendatione Iuliani qui Flauiano episcopo fide adhæ-
episcopi, vel eorum clericorum, ferunt.*

Leo episcopus, Anatolio episcopo.

I.

GAUDEMVS in Domino , & in dono gratiæ ipsius gloriatur, quia sicut dilectionis tuæ literis , & fratribus nostrorum, quos Constantinopolim miseramus, relatione cognouimus, sequacem te euangelicæ eruditio- nis ostendis: vt per sacerdotis probabilem fidem merito præsumamus, quod tota ecclesia eidem credita , nec ruma- gam cuiusquam sit erroris habitura , nec maculam, dicente Apostolo : *Defpondi enim vos vni viro, virginem castam ex- libere Christo.* Illa est enim virgo ecclesia , sponsa vnus viri Christi, quæ nullo se patitur errore vitiari: vt per totum mundum vna nobis sit vnius castæ communionis integritas , in qua societatem tuæ dilectionis amplectimur, & ge- storum , quæ sumpsimus , seriem necessariis (sicut oportuit) munitam subscriptionibus approbamus. Ut ergo in- uicem dilectionis tuæ animus nostris confirmaretur allo- quiis , filios nostros Casterium presbyterum , Patricium & Asclepiadem diaconos , qui ad nos tua scripta detulerunt , cum epistolis nostris post venerabilem diem festi paschalis remisimus: indicantes nos (vt supra diximus) de Constantinopolitanæ ecclesiæ pace gaudere , cui hanc curam semper impendimus , vt eam nulla velimus hæ- tiorum fraude violari.

II.

De fratribus vero , quos & epistolis tuis , & legatorum nostrorum relatione communionis nostræ cupidos esse cognouimus , eo quod doleant se contra potentiam , con- traque terrores non tenuisse constantiam , sed alieno sce- leri præbuuisse consensum , cum ita eos formido turbasset, vt in damnationem catholici atque innocentis antistititis, & in receptionem detestabilis prauitatis trepidi famula- rentur obsequio ; illud quidem quod præsentibus & a- gentibus nostris constitutum est approbamus, vt suarum interim ecclesiarum essent communione contenti: sed cum legatis nostris (quos misimus) participata tecum so- licitudine volumus disponatur , quatenus hi , qui plenis

M iii